

Q. D. T. O. M. B. V.

DE

1731.3

19

TRANSMISSIONE
ACTORVM 262
IN FORO NORICO
EX MENTE CONSTITUTIONVM
IMPERII NON ADMITTENDA
DIVINI NVMINIS GRATIA

AC

INDVLTV

MAGNIFICI

ICTORVM ORDINIS
ALTDORFINI

PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IVRE
HONORES CONSEQUENDI

IN AVGVRALITER DISPVTABIT

THOMAS GEIGERVS, KALCHREVTHA-
NORICVS
REIPVBLICA NORIMBERGENSIS ADVOCATVS
ORDINARIVS

AD DIEM

IVN. ANNO M DCC XXXI

TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

ell. recip.
tempore
illis int
udendum
(quem
imus cau
suis con
ellabiles,
lationum
accident,
el ubi res
num vel
bus expo
dd.

et Allia
itemque
ano.
t manus,
nubus
on 21
della
um pr
damnum





§. I.

Non est animus post tot Homeros , puta Gailios , Benderos , Hertios , Coccejos , Gundlingios , aliosque , Iliadas conscribere , sed nobis sufficiat impræsentiarum , vel compendioso sermone , evincisse , propter bene & prudenter ordinatam cœconomiam Judiciorum PERILLVSTRIS REPVBLICAE NORIBERGENSIS , transmissionem Actorum ad Universitates , præprimis post semel electam revisionem , seu factam appellationem , ex mente Constitutionum Imperii non esse ibidem admittendam .

§. II.

Antequam vero ad enodationem lucidam textuum dicti patrii Juris proprius accedimus , paucis admonendum est : Quod Imperatoribus Germanicis , propter abusum appellationis , neve lites in infinitum protrahantur , & moles earum subditos opprimat , aut sæpe sèpius odia aeterna excitentur , fidesque anima negotiorum & commerciorum vacillat , ac denique summa Tribunalia hisce vexis fatigentur , placuerit , provocandi licentiam ad certam summam redigere , & primum quidem ad L. deinde CL. florenos ,

A 2

post

post trecentos, ac denique sexcentos, recessu Imperii novissimo. vid. Illustris Luldolph. *Comment. Cameral.* p. 169. Lauterbach. ad tit. ff. de Appellat. recipiend. PERILLVSTRI REIPUBLICAE NORIBERGENSI vero ex speciali Privilegio summa de 900. clementissime statuta fuit.

§. III.

Quoniam vero conquesiones altercantium erant multæ, se causa sua, tametsi sepiissime perperam, vel affectu, vel imperitia Judicis cecidisse, tandem Legislator hisce querimoniis medelam adhibere, & loco prohibitæ appellationis transmissionem Actorum ad sapientum collegia in subsidium indulgere constituit, & præprimis eam ob causam ad Academias animum adduxit, cum jam a Sæculo XIV. & XV. variae Scholæ Juris-Consultorum, & Collegia omni genere studiorum effloruissent, eorumque autoritas, cum in Auditorio Cæsaris, tum Aulis Principum, Imperiisque civitatibus, magni semper est habita, & ibi sine moratoria cunctatione & celeriori expeditione cause felicissimo potiti sunt exitu.

§. IV.

Sed tantum abest, ut saluberrima intentio Legislatoris lites execrantis, ad effectum pervenerit, ut potius uniuersitate litium amatores sursum deorsum omnia in contrarium vertentes, & inter se dissentientes, cursum gradumque suis machinationibus occultis impediunt, efficiantque ut lites coepitæ diuque tractæ pendeant, & nonnunquam sine exitu relinquantur, non sine maxima justitiae labe & detimento eidem illato; ad minimum sperantes, quod re-

ii no-
169.
VSTRI
Privi-

oulce,
l im-
uer-
tions
bsidi-
m ad
V. &
omni-
cum
iique
toria
o po-

lat-
s un-
trari-
culum-
ntque
quam
e &
d re-
tita

pe ita contentione resuscitataque lute, inter varias tenebras
& concertationes victoriam obtinere triumphumque possint.

§. V.

Sed ut penitus in genuinum sensum Constitutionum Imperii penetremus, adscribamus Textum ipsum ex Recessu Deputationis Spirensi de Anno 1600. §. XVI. qui ita sonat: Es soll aber den Unterthanen unbekommen seyn, sondern frey stehn, da sie unter benannter Summa, der dreihundert Reichs-Gulden, davon nicht appellirt werden mag, sich beschwehret zu seyn befinden, solche ihre Beschwerden und Gravamina per viam Supplicationis an ihre ordentliche Obrigkeiten und Herrschafften in gehuender Zeit Rechtens anzubringen, welche auch schuldig seyn sollen dieselbe anzunehmen und per modum revisionis ex eiusdem actis NB. endlich zu entscheiden, oder aber nach Gelegenheit einer jeden Sache, und da es von einer oder der andern Partien begehret wird und erhebliche Ursachen vorhanden waren, auf eine Universität, oder aber zwey oder drei Rechts-Gelehrten ad revidendum zu überschicken. Quod in recessu Imperii novissimo repetitum vid. §. 113. Doch mit diesem Zusatz. Quod si igitur pensiculatus textus inspiciamus, patet satis abunde.

I. Sensum verum eorum esse, ut nimurum, gravatus petens transmissionem, vera & ex facto argumenta, eaque fat gravia & non frivola, allegare & proferre debeat, proper enixiorem & sanctiorem voluntatem Legislatoris intendit, omnem fenestram juriis & inanibus litigiis occulendi.

II. Si partes recognitionem seu revisionem elegerint & semel probaverint, ad transmissionem porro resilire non

valeant. Quia Legislatoris intentio fuit, lites finire & non
in infinitum earum tela extrahere.

§. VI.

Ex his porro nobis silentibus constat, Bartolum, Bal-
dum & sequaces Schraderum & Berlichitum rationes suas
non recte iniisse, quando statuerunt, Judici jus esse optan-
di. Cum Constitutiones hac in parte sint clarissime, imo
mandent, ut petitio supplicantium attendatur. Quid! quod
si judex se ipsum ad revidendum obtrudere velit, cum par-
tes exteros elegerint, haec sine dubio mandatum S. C. impera-
ri possunt, de non impediendo usu Juris Constitutionum Im-
perii, idque argumento *Ordinat. Cameral. Part. II. Tit. 23.*
v. Es wäre denn Sache. &c. B. Lib. B. de Lyncker de
Gravamine extrajudiciali cap. VI. §. 32. n. 2. Nec vere-
tut statuere idem Vir illustris, ob denegatum hoc juris re-
medium provocari quoque posse, quamvis summa appella-
toria deficiat, neque enim in hoc casu quantitatem, sed
iniquitatem judicis respici, qui temere negat, quod lex
atque Imperii consuetudo poscentibus largitur: quin vero
hujusmodi iniquitas, appellandi jus indistincte pariat Paulum
de Castro in *L. 1. ff. de appellat.* luculent docere. Sed
haec verba cum grano salis sunt accipienda, siquidem totius
rei fundamentum in eo consistit frivolane sit transmissionis
petitio, an argumentis innixa gravioribus? Priori casu injuria
falsa affectum vix conqueretur iuste, cui improbum postulatum
illico est ostendendum. Ejus enim merito negligi-
tur querimonia, qui causas habet nullas, aut actis contraria
loquitur: quin coercendus est potius, quod sic judicem fa-
tiget, eumque iniquitatis accuset. Nec Camera quoque,
vel alterum Tribunal Imperii summum patulas rei aures
præbe-

præbebit, multo minus mandata sine clausula decerneret. Hinc optime Mevius Part. 4. decis. 335. ob negatam transmissionem actorum appellationem recipiendam negat; n gravamen sensile nec exprimatur nec ostendatur. Idem i o Constitutione Spirensi præcipitur, ut tum demum acta alii transferantur, si causa sat graves occurunt; non autem frivola allegantur, & ad litium protractionem omnia spe etant. Quocirca vix est, ut, dum debitum versatur in confessio, morosus ac condemnatus debitor transmissionem a torum flagiter: seu si quis dubitare vellet, de officialis militaris relatione super negotio ipsi demandato, cum ejusmodi officiali plenissima fides sit adhibenda, & nullis aliis adminiculis indigeat, quoniam est persona publi ca & jurata, quamvis suadendum sit aliquando, ut, cum forte aliquid occurrit dubii petitorque paullo incivilius instat, ipsius sumptu ex officio transmittantur acta, simul atque interrogetur, an beneficium transmissionis sit concedendum importuno homini. Sic enim fiet, ut tandem aliquando suo malo despere definit, præstructoque ad summa Tribunalia aditu, pudore confusus conticescat. vid. B. Gundlingius Præceptor solertissimus, cuius manes grata mens suscipit, in *Dissertat. de Transmissione Actorum.*

§. VII.

Equidem non dissitemur, multos viros clarissimos in alia omnia ivisse, quorum rationes sui dissensus proferre & excutere nunc non vacat. Sufficiat inter tot dissentientes unum, nemirum Benderum de revisione actorum, Cameræ olim Assessorum gravissimum nominasse, qui in hæc verba nimis leniora invita Minerva erupit: Vix eum temere exigete novam revisionem, & quod hac parte idem est, rei judi-

judicatae per extraneos recognitionem , cum ejus gravamina in luce jam sint constituta , dum victoriā obtinuit , e- jusque exceptio vel actio pro æquissima initio habita nunc autem rejecta , atque fortassis novo cum onere repudiat . Sed quemadmodum huic dubio speciose conficto , sed in abstractionibus mentis , non autem in lege scripta fundato , jam ante nos multi ex aſſe ſatisfecerunt , aliquid operæ aut temporis inſumere ſuperfluum eſt , interim miramur , quod Vir Illuſtris architectum , non minſtrum legis agere voluerit .

§. VIII.

Ut nos vero ſic , & non aliter ſentiamus , quam in §. V. diximus , movent clarissima verba LL. quæ ſecundum regulas ſanas hermenevticas , nullum aliud interpretamentum admittunt . Etenim verba endlich zu entscheiden , cum antea partibus integrum fuerit , aut revisionem aut transmissionem eligere , utique abunde manifestant , ſi revisio aut transmissione ſemel quaſita & peracta , quod tota lis direpta ſit , & minime nova ferenda , niſi ablonum ſtatuerem velinus Legislatorem , duntaxat dicis cauſa , multitudini litium mederi voluisse , cum utique ſecundum eſſe & propositum in mente retentum legi promulgatae adverſaretur , ſi revisionis revisionem , ſeu transmissionis transmissionem admitteret , quod tamen publice non proficit .

§. IX.

His præmissis , propositum postularet , ut legitimum ordinem & formam Judiciorum PERILLVSTRIS REIPUBLICÆ NORIBERGENSIS eorumque modum & methodum procedendi exponeremus . Sed quoniam ante nos , Vici

clarissi-

clarissimi in illis describendis nobis otium fecerunt, nos
pro ratione instituti in contemplando illustri Judicio appellato-
torio & prima via obtinendi appellationem, unice subsi-
stamus.

§. X.

Nimurum & quis in inferioribus Judiciis PERILLVSTRIS
REIPUBLICAE NORIBERGENSIS causa cadit, & se
propterea gravatum putet, Perillustri Senatui post acceptos
apostolos refutatorios diem intra trigesimum, Libellum sup-
plicem, pro admittenda appellatione insinuare licet. In
quo gravatus sua gravamina punctatim enarrare solet. Hæc
supplica communicatur appellato, qui extremo conatu
gravamina victi confutare nititur. His peractis, Perillustris
Senatus, acta a Judge, a quo, requirit, leguntur hæc, &
summa vi ingenii ponderantur, postea suffragia feruntur,
an petitas appellationi sit deferendum nec ne? Si Perillustris
Senatus in percurrendis victi gravaminibus & victoris con-
futationibus causas appellationis manifesto frivolas invenit,
denegatur appellatio, simulque confirmatur prior sententia.
Quod si vero appellantis rationes sint graves, & relevantes,
appellatio admittitur. Habes ergo hic primam & Constitu-
tionibus Imperii elective permisam revisionem.

§. XI.

Ut vero luculenter patefiat, quid sit constitutum
Judicium illustre Appellationis Noricum, paucis tene: Illud
constare ex sex Senatoribus Consularibus & duobus Consi-
lariis JCTis, virtute artium decidendi causas ex aequo &
bono peritissimis, & usu quotidiano rerum forensium ex-
pertis. In hoc post perpensa maturius argumenta, post ge-
ta novis ponderibus instructa; post clarius deducta, & post
summam adhibitam diligentiam in perquirendis omnibus
circumstantiis, aut sententia reformatioria aut confirmato-

ria fertur. Ais, quod si corrigetur prior sententia, transmissionē actorum, quia semel vixit antea autem victor extitit, & uterque semel causa cecidit, saltem ob aequalitatē locum adhuc invenire; Regerimus contra, cum Constitutiones Imperii, ne quidem, si libelli supplices pro appellatio-
 ne fuerint exhibiti, & provocatio pro legitima non reputata, ulterius remedium indulgent, multo minus ulte-
 rior transmissio erit admittenda, cum Perillustris Senatus
 Imo) summo judicio revisionem peregerit, Ido) partium
 gravamina relevantia ad illustre judicium ablegaverit, ubi
 eeu ultimo refugio illa recognoscēbantur, consequenter fe-
 cundum Recessum Spirens Deput. & verba endlich zu ent-
 scheiden, sententia litis decretoria, ob tantam examinis
 a rejsbau omnino adest, de quorum verborum autoritate
 & vi insuper B. Gundingium in dicta Dissertatione de
 Transmissione Actorum nobiscum consentientem & pro
 more rem acu tangentem, audiamus, his conceptis verbis:
 „ Verba: endlich zu entscheiden, non sane temere videntur
 „ adjecta, imprimis si legis latē causam adjuvante con-
 „ tueamur, quæ appellationis jure destitutis utcunq; con-
 „ sulere voluit. Etenim in causa exigua, & appellationis
 „ summam non attingente, nulla est appellatio, nec
 „ ejulantibus licet acerbe, permissa. Jam vero puta in lege
 „ nova aliquid subsidii oneratis est tributum, invito prifino
 „ jore, expressumque legitur evidenter, ut transmittantur
 „ acta aut a judge iterato perlegantur? Cujus quoq; in
 „ tuitu ac favore? nullius certe, nisi ejus, qui primum se
 „ conqueritur, esse latsum, ac de difficultate sententiae pondere,
 „ interventu libelli querelarum pleni expostulare incipit.
 „ Igitur patesit, constitutionem novam de victo cogitasse,
 „ non autem de victore: & nos vero haud immerito inde
 „ concludimus, utrumque nunc compromittere vel com-
 „ promisi

promississe in stabile Prudentum scitum, sola hac differen-
tia, ut vix sponte, vix lege jubente, facere id cog-
tur. Quod ut clarius cernas, finge judicem tua volun-
tate, recognitionem seu revisionem decreuisse: Statue
cum ipsum mutare atque evertere primam sententiam; an
denuo recognoscuntur actitata? Et quis fodes introspi-
ciat? Dices peritior deque jure ac facto certior validior-
que, tum ego hercule vix erubescam in os contradicere
sic statuentibus, qui semel concessa gemitant, quodque
in subsidium atque ægre indulsum sine auctore ac teste
multiplicant, hucusque Gundlingius cit. loc. Et sane nobis
ideo contrarium videtur, cum notorie transmissio acto-
rum tantum in subsidium indulta, & pauxillum & minus
appellatione datum fuerit, Tu vero homini gemitus, sub-
missiones, preces ac fucatam innocentiam fundenti & simu-
lanti maximum, puta appellationem & transmissionem gre-
garum quodque constitutionibus Imperii ē diametro adver-
sum, concedere velles?

§. XII.

Quod in PERILLESTRI REPUBLICA NORIMBERGENSI
ratione Fori appellatorii eo minus tolerandum, quo ibidem
strictius mens Constitutionum Imperii observetur & verbis,
dicti Recessus & in parenthesin inclusis: Es hätten dann
die Partheyen etwas neues fürzubringen, darüber sie ge-
hört werden müssen, indem sie ihnen noch zwey oder drey
Schriften zugestattet werden, testante quotidiana expe-
riencia, semper mos geratur & novæ periftas & circumftan-
cie fundamentumque utriusque intentionis accurate perpen-
dantur. Quod & alia utique Imperatorem glorioſiſſimæ me-
morie impulerit, Summam appellationis non attingentem
600. flor. v. ſupra §. 2. ad 900. flor. extendere, licet interdum
infulti guerri, quibus etiam Apollinis placita non ſemper &

fere nunquam arident putantibus, quod lucidissimus Titan illis alia præcordia de meliori luto fixerit, Acheronta movere satagunt. Siquidem non ambigitur, quod statu Imperii, qui judicia revisoria habent, a transmissione aetorum penitus immunes sunt, quanto magis PERILLVSTRIS RESPVLICA patria gaudens. Judicio appellatio ab omni transmissione exenta est, cui enim ist quod minus est conceditur, non denegandum id, quod maius est. conf. B. Illustris B. de Lyncker de Gravamine extraijad.

C. VI. §. 32. n. 5. Textor ad Recess. Imperii novissimum Disput. XIII. §. XXIX. & d. §. XVI. & CXIII.

§. XIII.

Ex his facile perspicendum in PERILLVSTRI REPVBLICA NORIMBERGENSI plura & pinguiora Beneficia partes habere, quam ipsa Constitutiones Imperii imprimant; Revidere enim minus est, quam appellare, nam revisione ex prioribus & antiquis actis saltem justificatur, nec quicquam novi proponi potest, secus in appellatione, ubi non deducta deducuntur, non probata probantur L. s. Cod. de temp. appellat. vid. Benderus de Revisione actorum. & Ordinat. Cameral. P. III. Tit. 53. §. 3. imo Patrum patritiae mitior propensio tam late se diffundere solet, ut illustres Septemviri querulanten denuo & in superfluum auidant, & acta de novo revideant.

§. XIV.

Unde maxime paradoxum & a mente Constitutio num Imperii alienissimum videtur, si bellatores togati, tot velitationes atque statum Judiciorum Noricorum eorumque ordinem astute conticentes & supprimentes, imo audacter negantes post peractam appellationem & post hæc omnia acta & actitata ad summa Tribunalia convolare non erubescant; ibique transmissionem actorum ad impartialies impor tuni.

portune flagitantes , simulque petentes id , de quo Legisla-
 tor ne quidem cogitavit ; si enim de eo cogitare potuisset ,
 sine dubio hunc ausum temerarium expresse cohibuisset ,
 quia si partibus , aut revisionem aut transmissionem eligen-
 di facultas concessa , cui sano quæso in mentem venire de-
 beret , post factam revisionem , post peractam appellatio-
 nem , & tandem post auditam supplicationem , denuo trans-
 missionem actorum usurpandam esse ? nonne hoc esset ite-
 rum de quacunque summa provocare & totam legem peni-
 tus infirmare velle ? Nam qui binas transmissiones , seu binas
 revisiones concedit , non modicum , non minimum , sed ma-
 jus & immodicum largitur . Ergo utique frustraneum Legisla-
 tor egisset , si alias in causis appellationis impertiatur gravatis
 beneficium appellationis , deinde supplicationis & revisionis ;
 & tamen tam largum beneficium in causis appellationem non
 ferentibus tribuere voluisset , quod tribueret revera in ne-
 gotiis appellationem admittentibus , alioquin enim ipsam
 appellandi facultatem non denegasset . Accedit , quod in
 Camera Imperiali , testante Bendero , revisio , nisi ob causas
 arduas & gravissimas non permittatur , & quidem hæc demum ,
 si inter Principes & Status Imperii controvertatur , minime
 omnium revisionis revisio decernitur , ceu referunt Blumius
 & alii Scriptores pragmatici ; potius cum B. Gundlingio non
 dubitamus , si inferior judex transmissionem seu revisionem
 iterare vellet , Contradictor , si ad Cameram vel Aulicum
 judicium se confrat , Mandatum S. C. sit obtenturus , ne
 contra morem & legem Imperii sic prægravetur conquerens .
 Siquidem verba constitutionum omnem ambiguitatem re-
 spuunt , & absone petet quisquam gregatim , quod alterna ra-
 tione concessum , cum Lex permiserit unum idque ex ele-
 ctione partium . Si itaque ad statum controversæ animum
 advertas , necessario inferes , electa revisione vix resilire ad
 transmissionem Actorum , electoque posteriori extingui sane

remedium prius, imo evanescere transmissionis transmissionem, aut revisionis revisionem vel etiam transmissionem. Cæterum noli provoces ad Saxones, quibus suus honos, suus mos, suaque conditio non invidenda. Constat enim inter omnes, Saxones peculiari jure hac parte uti, totque habere instantias, ut minime facile litium exitus apud ipsos sperandus sit, de quibus Illustrem Ludolphum *in tract. Sistemat.*
de Jure Cameral. p. 176. hisce verbis audiemus : „ Apud „ Saxones non trium modo, sed duplo major datur lepe „ instantiarum numerus. Coram Judice inferiore eodem „ sunt duæ, prima & altera, quæ Leuteratio vocatur, effe „ ctim habens suspensivum & fatalia perinde, ut appellatio „ Deinde itur ad Curiam Provinciale, ubi, post appellatio „ nalem decisam, repertur beneficium Leuterationis. A „ Curia Provinciali appellatio admittitur ad Principem, & „ rursus duplicantur, ut antea, instantia, quandoque tripli „ cantur per Oberleuterationem. Non mirum ergo, si in „ Saxonici judicii lites valde protrahantur, cum a qua „ cunque interlocutoria partes soleant leuterare & appellare, „ sumtuum multiplicatio, cum primis, ubi sportulæ potissi „ mum sunt officii commodum, ex instantiarum numero „ agnosci facile potest. Sed quemadmodum hæc a scopo „ nostro maxime abludunt, & nemo facile illa optabit, ita „ nostrum potius erit, animum & voluntatem nostrarum „ Constitutionum Imperii sequi & observare.

§. XV.

Quoniam vero tota appellationis doctrina, sicuti in Foro nostro recepta est, maxima ex parte ex Jure Romano Imperatorio originem traxit, nonnulla vero e Pontificum Romanorum glossis, facile intellectu est, neminem litis ordinem hodiernum bene percepturum, nisi ad utruique Jus, peregrinum licet, oculos intendat. Idcirco opera premium esse duximus, coronidis loco, saltem ob vicissitudinem

nem utriusque materiæ appellationis & transmissionis videlicet, de antiquissimo appellationum usu & origine paucula inferere; Nimirum tam apud Athenienses quam Romanos appellationes fuerunt in viridi observantia, de quo vid Plutarchus in *Sō'one* & Aristoteles *Politicorum L. VI. cap. 8.* Tullius Hostilius provocationem de Horatiano Judicio cœsir, vide Livium *L. I.* Valerius Publicola vero exactis Regibus in Consulatum electus, a Consulibus ad populum provocandi licentiam permisit. Imo Carolus Bretus de *civilibus Judicis cap. 42.* non dubitavit, autoritate veterum inimicis, affirmare a Prætore ad alium Prætorem, ad Tribunos, ad Consules aliquando appellatum, non quidem eo fine, ut hi Prætoris enunciata contrario judicio tollerent, sed ne is quod extreum in Jurisdictione, ficeret. Augustus vero in Imperii solium electus statuit, ut a minoribus magistratibus & judicibus ad Prætorem, qui Judicem dederat, a Prætore ad Praefectum urbi in causis duntaxat civilibus fieret; e provinciis ad Consulares, atque utrinque ad Principem; in gravioribus nimirum, quas appellatio- nes sibi reservasse expresse prodit Dio Cassius *L. LII.* qui mos stabili lege usque ad tempora D. Hadriani duravit, conf. Suetonius *c. XVII. n. 3.* Tacit. *Annal. L. XIV. c. 28.* u. 2. qui oratione cavit, ne a Senatu ad Principem amplius extrema provocatio dirigeretur. Sed Senatus successu temporum sua autoritate fere excidit, cum Constantini M. Godefredus in *Comment. ad Tit. Cod. Theodosian. de appellat.* verosimile videtur retractationes hoc tempore suum ortum habuisse, quæ postulabantur in libello Praefecto Prætorio oblato. Est autem retractatio erroris proprii veniae petitiō, vel adversarii circumventionis allegatio *L. XVII. ff. de minoribus.* Differt autem retractatio in eo ab appellatiōne, quia hæc ad alium siebat ac latam sententiam ini-

quam

quam nec factō congruentem prorsus extinguebat. Nam a Præfeto Prætorio Principem repræsentante , nullatenus fas erat appellare , sed solummodo beneficium supplicationis locum inveniebat. Tandem revisio in scenam prodit, an vero hoc vocabulum cum Vossio de vitiis latin. sermon. barbarum nomines, an cum Mevio Part. V. decis. 109 reflectionem pro illo substituas , arbitrio cpijsque relinquitur. Nostrum non est stilum JCTorum recentiorum mutare. Dehinc appellationis scala est inventa , in qua saltui vix dabatur locus , tamque diu disceptabatur, ac de novo lis restabatur, donec tres eadē in lite congruentes sententiae emergerent, quas subsequens ætas tres conformes appellavit, uti de hoc in jure Justinianeo atque Codice imprimis l. un. Ne liceat in una causa tert. prov. varia occurrent. Cum vero indies litium multitudine magis magisque incrementum caperet, ac vieti in ipsum Superiorē & Imperatorem ita irruerant, eumque fatigabant, de præscindenda appellatio- num licentia serio cogitabatur. Et huic dupli modo oc- currebatur, ut primo plura instantiarum beneficia amplius concederentur , & deinde certa summa appellatoria fuerit constituta ne vilioribus aut exiguis causis Consistorium Prin- cipis occuparetur : in quo rursus Juris Romani tramiti insistebarunt, dum in hoc jure a quibusdam Judicibus non lice- rit infra certam summam appellare Novell. 23. pr. idque fe- re speciali privilegio concessum a quibusdam Principibus & Civitatibus Imperii, quas duas observationes annotarunt Pe- trus Frid. Mindan, de Process. & Mandat. & B. Illustr. Gund- ling, in Dissert. de Transmiss. a. De amplissimis privilegiis Statibus manifesto competentibus aliquid inserere superva- cum ducimus, contenti, genuinum sensum Constitutionum Imperii breviori inquisitione rimata & litibus inanibus, in PERILLYSTRI REPUBL. NORIME. suffragantibus legibus Imperii, pro modulo ingenii impossuisse

F I N E M.

Altdorf, Diss., 1729-31

X 2344 208

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

Q. D. T. O. M. B. V.

DE

17313

19

0

TRANSMISSIONE
ACTORVM
IN FORO NORICO
MENTE CONSTITUTIONVM
IMPERII NON ADMITTENDA
DIVINI NVMINIS GRATIA

AC

INDVLTV

MAGNIFICI
ICTORVM ORDINIS
ALTDORFINI

PRO LICENTIA
MMOS IN VTROQVE IVRE
HONORES CONSEQUENDI
INAUGURALITER DISPV TABIT
THOMAS GEIGERVS, KALCHREVTHA-
NORICVS
IPVBLICAE NORIMBERGENSIS ADVOCATVS
ORDINARIUS

AD DIEM

IVN. ANNO M DCC XXXIX

TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

UNIVERSITATIS
SAXONIAE
ANHALTI